


BIBLIOTEKA


Zakł. Nac. im. Ossolińskich


XVI

3016

MF







DELIBERATIO LVCRETIAE POST  
VIM SEXTI TARQVINII MAR/  
tino Cromero Beczenfi Authore.



Heu scelus infandum, quæ me tam Barbara tellus?  
Quod pelagus? quæ me littora ferre queunt?  
Heu mihi uita male huic nimium seruata dolori.  
Heu pudor infoelix, heu male tute mihi.  
Heu scelus infandum, potuisti Cynthia castis  
Luminibus tantum sustinuisse nefas?  
Vos quoq; diuini cœlum qui pingitis ignes,  
Credibile est uestras tunc nituisse faces?  
Iuppiter omnipotens quid nunc tua fulmina cessant?  
Cur impune precor crimina tanta manent?  
Cur impune manent thalamo uestigia nostro  
Perfidia, & nimium turpis adulterij?  
Impius en sancti uiuit uiolator honesti,  
Et scelere exultat uictor ubiq; suo.  
Raptaq; ui potitur furibundus gaudia, nostris,  
Heu nimium insultans perfidus ille malis.  
Ille pudicitia euerfor, legum improbus hostis,  
Contemptor superum, dira hominumq; lues,  
Quem natum Gabij incusant hominesq; deosq;  
Heu miseri, quoties horrida busta uident.  
Sextus is est fraudum primis fabricator ab annis,  
Quem nihil hospiti tessera fracta mouet.  
Tullia quem talem sauo scelerata tyranno  
Aedidit, admorunt ubera dura feræ.  
Cur non illa pater quibus est occisa Gigantum  
Turba, uel Ixion, nunc tua tela iacis?

Cur non me pariterq; illum petis impete magno?

Cur non præcipitas tartara in ima simul?

Ergo aut tela cadunt temere Iouis irrita magni.

Aut sceleri nimium Iuppiter ipse fauet.

Aut non credibile est, cui sint mortalia curæ?

Esse aliquod summa numen in arce poli.

Quid iuuat heu tocies uotisq; litasse, meroq;?

Quid profunt casta sacra peracta manu?

Quid coluisse sacros uestæ mihi profuit ignes?

Mascula quid summo thura dedisse Ioui?

Deniq; quid pietas, uirtus quid profuit alma?

Si scelus hoc nullos indicat esse deos.

Sed procul hæc absint a me procul impia dicta.

Sunt superi, & curant commoda nostra dei.

Horum ope uictor erat toties pater ipse Quirinus.

His pius instituit sacra ueneranda Numa,

Impius his soluit pœnas Hostilius una

Quum sua cum domino regia lapsa ruit.

His etiam noster pœnas luet improbus olim.

Non cito fortassis, uerum aliquando tamen.

Sed quid me miseram sceleris data pœna iuuabit.

Quum spoliū casti corporis ille tulit.

Quid mihi nūc reliquū? quid ue est cur uiuere quærā?

Heu misera ammisso facta pudore semel.

Nam quod sol mundo, quod lucida sydera cælo:

Hoc pudor, & modus est fœmina quæq; tibi.

Fœlices nimium, formæ quas nulla decentis

Gratia commendat, nullaq; mica salis

Fœmineo nam sunt nimium damnosa pudori

Et lepor, & comitas, conspicuusq; decor.

Quam sc̄elix fueram, si istis caruisse liceret.

Nam mihi sunt istæc pernicioſa modo.

Nam quid nunc faciam? uiuone odioſa nocensq̄?

An magis admiſſum uindico morte nephas.

His ne ego nunc orbata bonis, & cætera perdam?

Atq̄ mala hæc alijs accumulabo malis?

An ne ego me uita potero ſpoliare ſerena,

Et qua nil homini dulcius eſſe poteſt?

Non ſatis eſt, ex ſe q̄ ſit uolucrisq̄, fugaxq̄?

Supremum ne opus eſt accelerare diem?

Non faciam, uenient, uenient pede fata uolucris.

Interea uſura temporis ipſa fruar.

Et quamuis aduerſa premant mille undiq̄ laſſam.

Eſt tamen in medijs uiuere dulce malis,

Eſt ſenibus, quanquã morbis onerantur & annis,

Et cupiunt mortem, uiuere dulce tamen.

Deſectiq̄ etiam membris animaq̄, perhorrent,

Et procul exoptant mortis abeſſe diem.

Et quem certa manet commiſſi pœna nocentem,

Per cupit infamis uiuere poſſe diem.

Quamq̄ premit maleſuada fames, ut uiuere poſſit,

Inſc̄elix carnem paſcitur ipſe ſuam.

Et quotus eſt, qui non malit ſeruusq̄ miſerq̄.

Viuere, quam fatum fortis obire ſemel?

Deniq̄ ſpes nulli eſt tam deplorata proſecto,

Viuere quin potius deligat, atq̄ mori.

Nam mors terribilis, uitaq̄ fruuentibus alma

Hoſtis, & extremi maxima cauſa mali.

Quid memorem horrendũq̄ canem, ſæuumq̄ tyranũ?

Quid Styga? quidue Eiebi cætera monſtra feris?

Quid barathrū? Eumenidū quid saua flagella facesq;  
Et quæ post obitum nos grauiora manent?  
Fabula sint istæc uulgi, minimeq; timenda,  
Sitq; etiam forti mors subeunda uiro,  
Fœmineo sed non tanta est in corpore uirtus,  
Pectore ut ex celso talia ferre queat.  
Vix ferimus summa inspectum per membra cruorem.  
In sua quæ ferrum uiscera condat, erit?  
Quid pro patria uitam contemnere laus est?  
Flagitium est ingens hæc ubi causa deest,  
Nulla fuit, mortem sibi quæ consciuerit ultro,  
Propter adulterij crimina fœda sui.  
Vim passæ uita tamen haud abiere sabinæ,  
Raptores posthac sed coluere suos.  
Deniq; si quod uis facinus sit morte luendum,  
Omne hominum cernas interiisse genus.  
Namq; ego mortalem esse puto sine crimine nullum,  
Quiq; neget culpæ conscius esse sibi.  
Ergo ne iucundam potero post degere uitam?  
Infœlix probris nobilitata malis.  
Queis ego quaeso oculis misera, aut qua fronte coruscū  
Aspiciam solem, syderealq; faces?  
An potero infœlix charum expectare maritum?  
Atq; reuerenti basia ferre nocens?  
Ille sed ille mali, heu talem qui nuper in ædes  
Adduxit, miseræ maxima causa fuit.  
Et sua fors laudans illi bona prodidit ipse.  
Heu sua quam magnum est posse celare bona.  
Porro cum digito monstrabor adultera passim,  
Quæ mihi tunc facies, qui color oris erit?



Quomodo me purgem? dicam fecisse coactam?  
Quis credet? cur non uociferata? petet.  
Non potuisse; nimis pressam, ferroq; manuq;  
Et tenebris dicam? Non erit ulla fides.  
Ocultum esse putem? quis persuadebit? & ut sit,  
Non poterit uæcors ille celare diu.  
Utq; celet, tamen haud unquam formidine soluar.  
Conscia mens facti est maxima pœna sui.  
Siue quis aspiciet, seu quid narrabit amico,  
Emoriar, crimen nosse putabo meum,  
Conspectus hominum fugiam, quæramq; latebras/  
Cor tamen arefcet nocte dieq; meum.  
Deniq; nec moriar uiuens, nec mortua uiuam,  
Tabificum absument dum mea membra malum.  
Quid nunc ergo libet sceleri superesse nefando?  
Omnibus in uisam uiuere quid ue iuuat?  
Quid ue iuuat lachrymis miseram indulgere? querelis  
Quid ue tot inmeritos sollicitare deos?  
Quin tu supplicium de te Lucretia sumis?  
Quin moreris dextra fortiter usa tua?  
Quin te, quam faceret miseræ tibi uita superstes,  
Eripis ex omni suspicione semel?  
In uitam fecisse omnes tum deniq; credent,  
Si mors testis erit displicuisse nefas.  
At graue percharæ est amittere commoda uitæ?  
Est fateor, si non plus habet illa mali.  
Nunc mille est obiecta malis, & mille periculis,  
Milleq; præduris sollicitudinibus.  
Nam quodcunq; genus uitæ ingrediare colendæ,  
Vndiq; turmatim te mala multa prement.

Seu tecum uiuas, seu publica munera cures,  
Ocia seu spectes, seu fera bella geras.  
Seu mare, seu terras opibus scrutere parandis.  
Ingenio partis siue fruare bonis.  
Seu cælebs maneat, seu te coniunxq; beatum,  
Et prolis faciat pulchra corona simul.  
Deniq; quicquid agas spectes quocunq;, uidebis  
Omnia sollicitis, undiq; plena malis.  
Nil stabile, & firmum, nulla est syncera uoluptas,  
Mixtaq; sunt paucis tristitia multa bonis,  
Quodq; est deterius, iuxta hæc, iustisq;, malisq;,  
Sæpe tamen iustis tristitia plura cadunt,  
Quid q; nec uiuum merito mihi dicere possis,  
Cui semel amissa est integra fama modo?  
Sed mors dura? Esto, sed ineuitabilis ulli,  
Vtq; hodie uiuas, mox moriere tamen.  
Quid si cunctorum est miseris, ea meta malorum?  
Quid si præterea commoda multa facit?  
Nam seu post obitum mens euanescit in auras,  
Nullus erit sensus, nullaq; cura mali,  
Seu manet æternum, aut longum uictura per æuum,  
Principium uitæ mors melioris erit.  
Adde q; inuidiam tollet, fannasq;, iocosq;,  
Tunc erit ex merito gloria uera mihi.  
Tunc erit immensum uirtus mea nota per orbem.  
Tunc generis dicar gloria scæminei.  
Exemplo faciam nullo, sed adultera posthac  
Exemplo uiuet scæmina nulla meo.  
Quare age, rumpe moras, animum Lucretia sume,  
Et perage offensæ uota pudicitia.

Monstra & magnum aliquid muliebria pectora posse  
Nec solis animi robur inesse uiris.  
Curtius haud metuit, saluo cum posset honore  
Viure, pro patria fortis adire necem.  
Infamem haud poterit Lucretia linquere uitam?  
Nec mage, quam turpis uiuere, gnaua mori?  
Fac uiuant alia, quibus est patientia maior.  
Quæq; animo leni talia probra ferunt.  
Aut quæ uim uitæ metuunt afferre, sed ista  
Nunc mihi mollicies enjcienda uenit.  
Romanam fortem esse decet, minimeq; timentem  
Mortis, & excelsa tristitia mente pati.  
Ergo mori certum est, uerum tollenda sinistra  
Ansa mihi famæ suspicioq; prius.  
Diceret ille sua, mihi quod fuit ante minatus,  
In scelere inuentam me cecidisse manu.  
Accersam miseros igitur patremq;, Virumq;.  
His referam infelix ordine cuncta suo.  
Et seu me uerbis culpa caruisse probabo,  
Seu minus, egregia morte probabo tamen.  
Iam satis heu uixi, uixi dum fata sinebant,  
Dum mihi salua mei fama pudoris erat.  
Sed nunc iam gelidæ certum est ocumbere morti,  
Sic uoluit Sextus, sic pudor ipse iubet.  
Vos o martigenæ populi, fortissima bello  
Pectora, iam longis euigilate malis.  
Ponite socordes animos, durumq; tyranni  
Excutite audentes me duce quæso iugum.  
Mœnibus, imperioq; illum, sobolemq; scelestam  
Pellite, & inuisam perditæ porro domum.

Sic uestrae saluo nataeque nurusque pudore,

Sic nati uiuantur uiri.

Sic liceat uestros uosque stare nepotes.

Sic faueat genti Conditor ipse sua.

At tu diua potens, factis quae digna rependis

Praemia, mors facito ne sit inulta mea.


Sed satis, heu satis est, acuat iam dextera ferrum,


Discat & in medio mergere corde statim



101730

9389  
2





Konserwacja przeprowadził(a):

Bożena Delizmata

Wrocław dnia 1 III 1988

